

## CAPUT III.

*De modo quo se gerere quisque debeat in Religionis revelatæ inquisitione.*

Alii in eo peccant, quòd de salute sua parùm solliciti, utrùm aliqua sit Religio revelata inquirere nullo modo curent; alii verò hujusmodi inquisitionem non refugiunt quidem, sed in eà instituendà imprudenter et temerè se gerunt: malè enim sibi persuadent, priùs expendendum esse, utrùm Religionis cujusdam dogmata cum ratione consentiant, quàm examinandum, an revelata sit. Oppositis illis duobus vitiis ut occurramus, sit.

## PROPOSITIO I.

*Quando proponitur aliqua Religio, tanquam à Deo revelata, homini non licet esse indifferentem.*

Probatur. Non licet periculo sese exponere divinæ voluntati non obtemperandi: atqui in illud periculum sese conjicit qui circa Religionem, quæ proponitur tanquam à Deo revelata, est indifferentis: inde enim fit, ut Religionem non amplectatur quæ fortè revelata est, Dei que voluntatem continet; ergo, etc.

Et verò licita esse non potest hujusmodi *indifferentia*, nisi omnes Religiones quæ sibi Revelationem vindicant, quales sunt Judaica, Christiana, Mahumetana, sint æqualiter bonæ: atqui eas esse pariter bonas absurdè prorsùs diceretur; siquidem, tum in dogmatibus, tum in præceptis, sibi invicem opponuntur. Christiani v. g. Christum velut Deum, Judæi tanquam seductorem, Mahumetani ut purum hominem, Deo tamen acceptum et Mahumetis præcursorem habent; Christiani etiam nonnulla

Sacramenta suscipiunt ut necessaria, ab illis autem abhorrent Judæi, et abstinent Mahumetani; ergo, etc.

## PROPOSITIO II.

*Cum proponitur Religio, tanquam à Deo revelata, expendendum est utrùm efficacia sint externa quibus nititur argumenta, nempe testimonia, facta; non verò priùs inquirendum, utrùm ipsius dogmata rationi consentiant, an dissentiant.*

Prob. 1°. Quia divina Revelatio ex parte Dei est actus liber: atqui actus liber non rationibus metaphysicis, sed factis et testimoniis innotescit et comprobatur: siquidem nostras inter ideas et liberam Dei voluntatem nulla est connexio. 2°. Quia Revelatio est factum: atqui factum argumentis tantum externis, nempe testimoniis, constare potest. 3°. Quia Deus revelare potest mysteria, veritatesque humanæ menti impervias, ut probavimus: atqui ridiculum est mysteria et veritates rationi inaccessas ad rationis tribunal et judicium deferre. 4°. Quia ubi, post excussa externa credibilitatis argumenta, constat à Deo revelatum esse aliquid mysterium, tum certa est illius cum ratione consensio, quamvis eam assequi non valeamus: Deus enim qui est summa veritas et sapientia, nihil credendum proponere nobis potest, quod pugnet cum ratione.

Annotandum est autem eam quam statuimus regulam, locum non habere ubi agitur de Religione, quæ ita apertos præ se fert falsitatis characteres, ut ipsius absurditas oculos statim percellat, qualis est idolorum cultus: hujusmodi enim Religio nullis inniti potest argumentis externis, quæ efficacia sint, fidemque mereantur; statim igitur repudianda est, sine ulteriori discussione.

## COROLLARIUM.

Ex dictis sequitur eas esse rationis partes, ut a

gumenta externa quibus nititur Revelatio, facta scilicet testimonia, miracula excutiat; ubi autem, iis diligenter excussis, compertum erit Deum aliquid revelasse, tunc illud religiose amplecti debet ratio, et divinæ autoritati sese subicere, non verò intimam mysteriorum naturam sibi imperviam curiosius scrutari. Sapientissimam hanc regulam sic tradit Archiepiscopus Lugdunensis, in suo eximio Pastoralis Documento de Religione. *Loin de craindre le grand jour, la Religion expose avec confiance à tous les regards, ses titres, ses preuves, son enseignement: elle invite tous les hommes à puiser dans cette source sacrée, et à y découvrir les caracteres augustes de la Révélation. Dieu s'est-il manifesté au monde, et lui a-t-il fait entendre ses oracles? Voilà l'objet qu'elle a soumis à notre examen, et sur lequel elle n'a que trop souvent à se plaindre de notre indifférence. Mais la preuve de cette Révélation une fois acquise, toute recherche ultérieure devient superflue; toute discussion inquiète ou curieuse des objets révélés nous est interdite par la raison elle-même, parce qu'elle connoît ses bornes, et qu'elle a Dieu même pour garant de ce qu'elle ne peut comprendre.... Ainsi la droite raison conduit l'homme à la Révélation, dont elle lui découvre la nécessité et la certitude. Elle le prend, pour ainsi dire, par la main, et l'introduit dans le Sanctuaire: elle lui parle jusques-là; mais après l'avoir confié à la Religion, elle se tient dans l'admiration et le silence. Ecoutez, lui dit-elle, un maître qui m'est supérieur, et n'écoutez que lui; c'est par mon ordre que vous me quittez, et c'est ma lumière qui vous conduit à une autre. Il est juste que je sache si c'est Dieu qui nous révèle ses volontés et ses mystères, parce que je ne dois croire que lui, et ne me fier qu'à sa vérité. Mais quand je suis certaine que c'est lui qui parle, je n'ai plus qu'à l'écouter et à me taire. Les vérités que je connois, et celles qui passent ma portée, viennent de la même source. (Instr. Past. sur l'Inocuité. in-4°. pag. 140.)*

## Solvuntur objecta.

Obj. 1°. adversus primam propositionem. *Licit est indifferentia circa Religionem, nec tenemur inquirere an aliqua revelata sit, modò illa inquisitio verè sit impossibilis: atqui res ita est; ergo, etc.*

Resp. Neg. min. Ad inquirendum enim utrùm Religio quæ proponitur ut revelata, talis sit, satis est expendere utrùm in ipsius gratiam ea proferantur argumenta quæ Revelationem certò demonstrant, qualia sunt miracula: atqui illud ab iis certò detegi potest, qui mentem suam à præjudiciis liberam faciunt, et quorum animus ad obsequendum divinæ voluntati est paratissimus. Etenim vel agitur de iis, qui testes fuerunt oculati prodigiorum quæ in Religionis confirmationem facta sunt, vel de aliis qui eorum testes non extiterunt. Quoad priores, nulla est difficultas, cum nemo sit, quantumvis imperitus, quem non moveat certa sensuum relatio; imò experientiâ compertum est indoctos et rudes, præ doctis et Philosophis, sensuum testimonio immobiliter adhærere. Quoad posteriores eos scilicet qui miraculorum testes non fuere, illorum nihilominus certitudinem assequi possunt ex aliorum hominum testimonio: quædam enim sunt facta, ut omnes consentiunt, à nostris temporibus remotissima, quales sunt Alexandri victoriæ, quorum tamen ipsimet imperiti veritatem possunt cognoscere ex aliorum hominum testimonio: pariter igitur ipsis constare possunt miracula, quæ olim in Religionis gratiam facta fuisse narrantur: ideò enim prioris facti, Alexandri scilicet victoriarum, constare potest veritas, quia ejusmodi est, ut circa illud decipi non potuerint, nec decipere voluerint illius testes: atqui similiter miracula quæ narrantur in Religionis confirmationem facta, talia sunt, ut illorum testes nec decipi potuerint, nec decipere voluerint, ut manifestum erit ex dicendis; ergo, etc.

Inst. Examen de quo agitur iis impossibile est.

quos tum præjudicia educationis, tum exempla societatis in quâ versantur, vi quâdam ineluctabili impellunt ad judicandum, eam solam esse veram Religionem, in qua nati sunt: atqui ita se habent imperiti; ergo, etc.

Resp. Neg. mia. Non diffitemur quidem præjudicia, tum ab educatione, tum ab eorum exemplis, apud quos nascimur et vivimus, exorta, animis nostris imperiosius dominari; experiëntiâ enim constat, omnes, generatim loquendo, in ea Religione vivere et mori, in qua nati sunt. Quapropter nunquam satis dignas grates Deo rependere possumus, quòd suâ benignitate effecerit, ut in ea Religione nasceremur, quæ sola vera est et divina. Sed nihilominus certum est hujusmodi præjudicia ferream quamdam necessitatem non imponere, et superari posse; quod satis comprobatur eorum exemplis qui olim à Paganismo ad Christianismum conversi sunt, et etiamnum convertuntur. Enimverò quæram à Deistis, utrum eo tempore quo passim grassabatur Idololatria, utrum, inquam, rudes et indocti potuerint agnoscere unum esse Deum, vanissimaque idola. Potuerunt sanè, siquidem multi; spretis idolis, ad veri Numinis cultum adducti fuere: atqui tamen tum educationis, tum exemplorum præjudicia, Idololatriæ patrocinabantur; ergo hujusmodi obstacula, etiam à rudibus, vinci possunt.

Obj. 2<sup>o</sup>. cum Cive Genevensi: Ex diversis tot Religionibus quæ sese invicem excludunt, una tantum vera est, si quæ tamen ejusmodi sit. Ut igitur omnis à judicio temeritas absit, non satis est unam duntaxat Religionem expendere; sed omnes excutiendæ sunt: in quacunque enim causâ nihil damnari debet, quod prius non fuerit cognitum. Cum argumentis conferenda sunt objecta, cognoscendum quid opponatur, et quid respondeatur. Næ ille simplicior sit, qui satis esse putat suarum partium Doctores audire, ut aliarum ra-

tionones compertas habeat. Si velis ope librorum edoceri, quantâ opus erit eruditione! quot linguæ addiscendæ! quot volumina pervolutanda! neque etiam id sufficiet. Cum enim plurimæ sint nationes apud quas libri non edantur, cumque sententia libris expressa scriptoris mentem sæpe non accuratè referat, ut certò de Religione aliqua pronuntietur, adeundi et interrogandi sunt populi qui eam sectantur. Unde necesse erit orbem universum perlustrare. Ex iis difficultatibus concludit autor impossibile esse certum de Religione judicium. (*Emile. Tom. 3. pag. 158.*)

Resp. Vulgare ab omnibusque receptum est istud effatum: *Argumentum quod nimis probat, nihil probat*: atqui hoc vitio laborat proposita nobis difficultas. Si enim nihil certi de Religione statui possit, quin objecta cum argumentis comparentur, nisi inquiratur quid quisque aliis opponat, quidve respondeatur; si non fuerit satis suarum partium Doctores audire, ut aliarum rationes planè innotescant; si tandem ad ferendum de aliqua Religione æquum judicium, non sufficiat illius sectatorum libros consulere, sed ipsi adeundi sint et interrogandi, quot absurda inde manabunt consecraria! Nemo Deum unicum colere, nemo justum ab injusto secernere, nemo mentem immortalem credere, aliamque vitam sperare, etc. debet, nisi Doctores à se invicem dissidentes audierit, Polytheistas, Epicureos, Materialistas, Pyrrhonios, et nisi eorum scholas frequentaverit. Sic opifex qui suis ex operis victum percipit, agricola qui legere nescit, infirmâ valetudine utentes, omnes tandem meditationi, studio, discussioni totos se dedant, et orbem universum perlustrent oportet; quod sanè ridiculum et impossibile est. Porro absurda quælibet consecratio falsitatem principii ex quo derivatur, probat; rejiciendum est igitur Civis Genevensis principium.

Enimverò Religionis Christianæ divinitas ex

conspicuis quibusdam factis pendet, qualia sunt Christi et Apostolorum miracula, insignes utriusque Testamenti Prophetiæ, modus quo nostra Religio in orbem universum sese effudit, etc. His omnibus firmiter constitutis, suum Christianæ Religionis veritati assensum denegare non potest, quisquis rectum gerit animum, et ratione, ut par est, utitur. Porro terribilis ille inquisitionum, comparationum, librorum, etc. apparatus, quo studet Genevensis Sophista rudes à suscipienda nostra Religione deterrere; omnes, inquam, illæ ambages minime sunt necessariæ, ut factorum evangelicorum veritas persuadeatur. Quæ enim exposituri sumus argumenta, ita rem demonstrant, ut nihil implexi, nihil nimis intricati habeant. Si hominis rudis et imperiti ingenio sese non offerant, illius tamen consensum rapiunt, ubi modo ipsi idoneo proponuntur, nisi obstinatè velit oculos lumini claudere. Nullam quippè in tota antiquitate factum reperias, quod sub eo respectu cum factis evangelicis conferri queat. Cùm igitur certa sint miracula, in gratiam Religionis Christianæ edita, et Deus secum ipse pugnare non possit, eo ipso rejiciendæ sunt aliæ Religiones oppositæ.

Obj. 3<sup>o</sup>. Licita est *indifferentia* circà Religiones æqualiter bonas: atqui singulæ Religiones sunt, etc. si quæ enim sola esset bona, Deus eam conspicuis quibusdam characteribus discriminasset, ut omnes possent eam ab aliis secernere: atqui res aliter se habet, ut constat ex Religionum diversitate quæ homines dividunt.

Resp. Ad primum argumentum, neg. min. propter rationem in probatione allatam.

Ad secundum resp. etiam. Neg. min. Ex dicendis enim manifestum erit Religionem Christianam specialibus quibusdam characteribus ita splendescere, ut iis quibus congruenter proponitur, plana sit et obvia: nec obstat Religionum varietas quæ genus humanum dividit: hæc enim

opinionum diversitas et pugna hoc unum probat, scilicet Religionem Christianam non ita ex omni parte evidentem esse, ut non possit ex errore vincibili in dubium revocari: namque, ut egregiè animadvertit Nicole, Religio Christiana satis clara est, ut à nullo sine culpâ rejici possit; satis verò obscura, ut qui ipsi fidem adjungit, non sit expers meriti. Et verò ex eo quòd homines o'lim circà unitatem Dei oppositas in sententias abierint, non sequitur Theismum et Polytheismum æquè probabiles esse: ergo pariter, quia varias in Religionem scinduntur populi, inde inferre non licet nullam existere, quæ insignibus aliquot veritatis characteribus et notis alias vincat.

---

## C A P U T I V.

### De veræ revelationis characteribus et signis.

CUM variæ sint in orbe Religiones, et suam unusquisque Revelatione munitam jactitet, expendamus necesse est, quibusnam characteribus insigniatur genuina Revelatio. Quemadmodum enim insanum esse veræ Revelationi non parere, ita stultum videtur Religionem, quasi revelatam, admittere, nisi perspicuos sinceræ Revelationis characteres præ se ferat. Duo sunt autem potissimum signa, quæ veram probant Revelationem, Miracula scilicet et Prophetiæ. De utrisque duobus in articulis disserendum est.

---

## A R T I C U L U S P R I M U S.

### De Miraculis.

Hoc in articulo quinque nobis proponimus exploranda. 1<sup>um</sup>. quid sit miraculum; 2<sup>um</sup>. an pos-